

DE VOTIS IN SOCIETATE IESU CONDICIONATIS

SUMMARIUM: In hoc studio natura votorum condicionatorum quae sunt in Societate Iesu emissa vel post novitium ab omnibus iam probatis, vel a Coadiutoribus formatis sive spiritualibus, qui sacerdotes sunt, sive temporalibus qui laici remanent, sunt ab ipso S. Ignatio intelligenda iuxta ipsius doctrinam de discernenda Dei voluntate. Immo et Professorum, qui sollemnia vota emittunt, etiam condicionata fiunt, non quoad gradum et permanentiam in Societate, sed quod modum exercendi labores apostolicos in vinea Domini, prout missi sunt a Summo Pontifice, sive a Superioribus Societatis vel stabiliter opera exercent apostolica in domo aliqua Societatis. Quae condiciones, etsi iuridicae, altiore obtinent valorem spirituale, qui semper in voluntate Dei discernenda radicatur. In ipsa autem Ignatii mente consecratio vitae est totalis sui ipsius donatio quae est amoris, prout in Exercitiis spiritualibus effertur. Ipsa condicio appositae, sive voto sive promissioni, plura habet etiam commoda spiritualia et canonica, praesertim pro his qui in Instituto saeculari vel in virginitate et viduitate sese discrete Deo consecrare velint. Eis sapienter possunt assumi vel proponi.

Inter plura quae in iure constitutivo Societatis Iesu ei propria et particularia sunt (*), recensenda

(*) Quae in hoc studio e scriptis S. Ignatii assumuntur, numeris in textu ipso indicantur iuxta hodiernam enumerationem continuam.

Textus sunt *Autobiographiae* quae in *Monumenta Ignatiana* FN. I, Romae, 1943-1965 inveniuntur. Vide pp. 323-507; italice translata in S. IGNATIUS, UTET, Torino, 1977, pp. 659-721; gallice in *Récit*, coll. Christus n. 65, Paris, 1988, 204 p.

Alii textus sunt e libro *Exercitia Spiritualia*, quae in *Monumenta Ignatiana*, Ex I, Romae, 1969, pp. 140-417 inveniuntur; italice, *ibidem* pp. 91-184; gallice, in *Exercices Spirituels*, coll.

sunt vota sic dicta «condicionata», quae vota sunt primo, quae post secundam probationem seu novitiatum emittuntur, quae etiam «vota biennii» vocantur, et secundo vota sunt Coadiutorum formatorum qui et ipsi distinguuntur ut Coadiutores «spirituales» seu sacerdotes et ut Coadiutores «temporales», qui laici in vitae consuetudine «fratres» vocantur.

Momentum horum votorum condicionatorum in eo habetur quod natura sua, ex parte emittentis, perpetua sunt, ex parte autem Societatis sunt condicionata i.e. emissa pro tempore quo hi sodales in Societate recipiuntur et retinentur. Quae vota condicionata speciale obtinent momentum spirituale atque novis in institutis vel coetibus vitae consecratae opportune admitti poterunt. Qua de causa, haec investigatio aliis etiam recentioribus institutis utilis esse potest.

I. De votorum in Societate Iesu natura et momento in eius structura constitutiva

Incorporatio plena in Societate Iesu est «professorum», seu eorum qui vota emittunt in professione sollemnia; qui professi dicuntur et sunt Societatis Iesu membra sensu stricto (511), qui et soli suffragium activum et passivum obtinent in eligendo Praeposito eius Generali (683; 699).

Christus n. 5, Paris, 1960⁶, 232 p., vel in editione recentiori, coll. Christus n. 61, Paris, 1986, 303 p.

Alii denique textus e libro *Constitutiones S.I.* quae in *Monumenta Ignatiana, Constitutiones S.I.* I-IV, Romae, 1934-1948 inveniuntur. Vide vol. III, pp. 1-278; italice, *ibidem*, pp. 387-652; gallice in *Constitutions de la Compagnie de Jésus*, coll. Christus, n. 23, Paris, 1967, 315 p.

Votis autem non-Professorum, qui in Societatem Iesu assumuntur, in Corpore Societatis adscripti incorporantur. Ad rerum claritatem plura sunt iuxta mentem S. Ignatii et Constitutiones ab eo conscriptas distinguenda.

Societas Iesu, ut corpus Societatis sensu stricto, est Societas professorum; qui Professi Societatis de vita et actione plenam assumunt responsabilitatem et in Congregatione Generali coadunati potestate legislativa muniti, Societatem regunt, Praepositum Generalem eiusque adsistentes eligunt, eius decreta, si definitiva esse debeant et necessaria, approbant suaeque faciunt.

Societas Iesu ut «corpus Societatis» sensu largiori auditur ea quae simul complectitur Professos et Coadiutores formatos. Qui Coadiutores ultimis votis in ea emissis assumuntur seu cooptantur. Eorum incorporatio de se est stabilis et definitiva. Gravi autem de causa a Praeposito Generali dimitti possunt et quidem propria potestate qua gaudet vi approbationis Pontificiae et Societatis constitutionum, immo et ipsa ratione qualitativa votorum quae *sub condicione* emittuntur, nempe «*pro tempore quo me in Societate Iesu retinet Societatis Praepositus*».

Qui autem post secundam probationem ad vota emittenda admittuntur, quae vota, uti vidimus, «vota biennii» dicuntur, iuxta tempus huius probationis quae est duorum annorum, et novitiatui in hodierna lege Ecclesiae definito correspondet, sunt et remanent in probatione seu formatione; ad Societatem Iesu non pertinent cum in ipsa votorum emissionem promittunt sese «*in Societatem ingressuros esse*» et quidem ad gradum a Praeposito Generali determinandum applectendum. Quae vota biennii natura sua non sunt incorporationis in Societatem sed tamen ad eam

ingrediendam cooptatio. Quae cooptatio eis concedit esse de Societate et sensu latiori, non definitivo, ad formationis tempus persolvendum et vitam Societatis expresse sequendam. Qui candidati ad sacerdotium vocantur Scholastici, secus Coadiutores probati. Unde ut clarius proponatur iter cooptationis, haec sunt enumeranda tempora:

Candidati *prima probatione* assumuntur ut et cognoscantur et ipsi Societatem melius cognoscant.

Secunda probatione sunt novitii, qui ad prima vota seu vota biennii emittenda parantur.

Ad formationem proseguendam eorum qui vota prima emiserunt — dicitur formatio, non probatio — remanent et ipsi in statu probationis usque ad ultima vota emittenda.

Iuxta gradum ipsis singulis a Praeposito Generali determinatum, emittunt vota vel condicionata Coadiutorum sive spiritualium, sive temporalium, vel sollemnia, quae sunt Professorum.

Ante autem haec vota ultima Coadiutorum vel Professorum tertia introducta est probatio, qua tempus formationis absolvitur atque praeparatio fit ad vota ultima emittenda.

Tota probatio seu formatio in mente S. Ignatii maximi est momenti, diuturna exoptatur et in proprium finem dirigenda; qui finis praeprimis spiritualis ab ipso in Constitutionibus expresse definitur:

«Quoniam habita ratione temporis ac approbationis vitae, quae exspectatur ut aliqui ad professionem vel in Coadiutores formatos — audiendi sunt Coadiutores tum spirituales, tum temporales — in Societate admittantur, tamquam certum ducitur eos viros spirituales futuros; et, qui sic in via Christi Domini nostri profecerint ut per eam currere possint, quantum corporis valetudo et externae occupationes caritatis atque oboedientiae permittunt; non videtur in iis quae ad orationem, meditationem et studium

pertinent, ut nec in corporali exercitatione ieiuniorum, vigiliarum aut aliarum rerum ad austeritatem vel corporis castigationem spectantium, [A] ulla regula eis praescribenda, nisi quam discreta caritas unicuique dictaverit; dum tamen semper confessarius consulatur, et, ubi dubium acciderit, quid conveniat, res ad Superiorem referatur. Hoc tamen dicitur in universum esse quid animadvertendum, ne nimius huiusmodi rerum usus tantopere vires corporis debilitet, tantumque temporis eos destineat, ut deinde spirituali proximorum auxilio iuxta nostri Instituti rationem non sufficiant; nec contra tanta in illis sit relaxatio ut, fervore spiritus refrigescente, humani ac inferiores affectus incalescant» (582).

Textus hic transcriptus inter omnes est maior, tum cum in eo agatur de fine probationum et formationis attingendo, tum quia et finis attingendus exponatur. Finis est viros spirituales efformari, qui missioni et operibus Societatis addicti, vel Professi vel Coadiutores etiam temporales sunt. Qui ultimi, si non directe apostolatus operibus destinantur, operositatem totius Societatis assumunt et suam faciunt.

In textu plura indicantur: loquitur de «*aliquibus... in Societate admittendis*»; non enim qui in probatione fuerunt et formati sunt, omnes admittendi sunt.

Uti viri spirituales ut in via Domini currant apti sint, qui lege scripta non iam ducuntur sed ex amore discernere possint quid eos adiuvent ut operositati Societatis plene aptentur. Quae uno verbo hic determinatur talis via, quae est *discreta caritas* seu amor Dei quo eius voluntas discernatur et agnoscatur, recipiatur et perficiatur. Quae discreta caritas, in hac Societatis lege inserta, legem superat omnem ut ipsa Dei voluntas sola et semper prima agendi norma agnoscatur et recipiatur.

Duplex conclusio ex hac positione est trahenda.

Formatio spiritualis pro omnibus Coadiutoribus tam spiritualibus quam temporalibus sicut et pro Professis eadem expetitur et optatur. Quae finalitas, praeter differentiam status canonici, superat omnia et remanet primaria. Quae prioritas in ipso modo sese Deo devovendi est semper praeponenda ut plene intelligatur valor ligaminis quo Deo et animabus quis in Societatem ingrediatur in eoque sese Deo consecret.

Ut inter vota emissa vel emittenda melius appareat differentia, et unitas huius finalitatis aptius exprimitur, examini submittendae sunt formulae in ipsis Constitutionibus ab Ignatio redactae. Prima votorum formula est votorum biennii; quae est Scholasticorum et Coadiutorum approbatorum:

«Omnipotens sempiterne Deus, Ego N., licet undecumque divino tuo conspectu indignissimus, fretus tamen pietate et misericordia tua infinita, et impulsus tibi serviendi desiderio, voveo coram Sacratissima Virgine Maria et Curia tua coelesti universa, divinae Maiestati tuae paupertatem, castitatem et oboedientiam perpetuam in Societate Iesu; et promitto eandem Societatem me ingressurum, ut vitam in ea perpetuo degam, omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis Constitutiones.

A tua ergo immensa bonitate et clementia per Iesu Christi Sanguinem peto suppliciter ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris; et ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum, gratiam uberem largiaris. Romae vel alibi, tali loco, die, mense et anno» (540).

Promissio ingrediendi Societatem est et ipsa «votum», nam Deo facta. In ipsa Societate promittitur vitam perpetuo degere in gradu unicuique a Praeposito Generali determinando; qui gradus est Professi vel Coadiutoris formati, spiritualis ut sacerdotis; temporalis uti non sacro ordine promoti. Notatu dignum est eadem uti formula omnes qui post probationis bien-

nium prima vota emittunt. Qui vota sunt quattuor; praeter tria de consiliis evangelicis servandis, ultimum est ingrediendi in Societatem Iesu ut quis perpetuo in ea vivat.

Formula Coadiutoribus propria quae item condicionata est, sequens est:

Ego N. promitto Omnipotenti Deo, coram Eius Virgine Matre et tota Coelesti Curia, et tibi R. Patri N., Praeposito Generali Societatis Iesu, locum Dei tenenti, et successoribus tuis; vel tibi R. Patri N. vice Praeposito Generali Societatis Iesu et successorum eius locum Dei tenenti; perpetuam paupertatem, castitatem et oboedientiam.

Quae formula Coadiutorum spiritualium sequenti prosequitur modo:

et secundam eam, peculiarem curam circa puerorum eruditionem,

Quae verba in formula Coadiutorum temporalium omittuntur, et in fine adiungitur ulterior et necessaria specificatio votorum:

iuxta modum in Litteris Apostolicis et Constitutionibus dictae Societatis expressum. Romae, vel alibi, in tali loco, die, mense et anno etc.

Adiungitur ergo sicut et in formula votorum sollemnium: «*et in tali Ecclesia*».

Quae vota Coadiutorum dicuntur in Constitutionibus simplicia (533) et sunt publica. Quae in iure hodierno habentur nunc ut talia definita; forsitan ulterius, et ut videbimus, pressius adhuc determinanda sunt.

Ut melius vota condicionata inter et professionis vota sollemnia differentia perspiciatur, utile est hanc

ultimam formulam etiam examini subicere; quae formula professionis est sequens:

«Ego N. professionem facio, et promitto omnipotenti Deo, coram Eius Virgine Matre, et universa Coelesti Curia ac omnibus circumstantibus et tibi, Patri Reverendo N., Praeposito Generali Societatis Iesu, locum Dei tenenti, et successoribus tuis; vel tibi Reverendo Patri N., vice Praepositi Generalis Societatis Iesu et successorum eius, locum Dei tenenti, perpetuam paupertatem, castitatem et oboedientiam et secundum eam peculiarem curam circa puerorum eruditionem; iuxta formam vivendi in Litteris Apostolicis Societatis Iesu et in eius Constitutionibus contentam.

Insuper promitto specialem oboedientiam Summo Pontifici circa missiones prout in eisdem Litteris Apostolicis et Constitutionibus continetur. Romae vel alibi, tali die, mense et anno et in tali Ecclesia (527).

Quae formula dicitur «quattuor votorum sollemnium», quae sunt paupertatis, castitatis, oboedientiae et specialis Summo Pontifici oboedientiae circa missiones. Quod ultimum votum non expresse emittit qui ad professionem «trium votorum sollemnium» admittitur (531). Recte tamen dicitur et certo tenetur omnes in Societate Iesu cooptatos vi voti Professorum circa missiones et ipsos adstringi.

Conditio, de qua in hoc studio agimus, est in formula primorum votorum expressa, in formula autem Coadiutorum non est expressa, nisi omissione primorum verborum quae sunt professionis nempe: *Ego N. professionem facio* et promitto... Sed ut res clare appareat dicitur in aliqua animadversione:

«Quod dicitur, iuxta Bullas et Constitutiones, intelligendum est quod Coadiutores emittunt huius modi simplicia vota cum tacita quadam, quod ad perpetuitatem attinet, condicione quae haec est: "si Societas eos tenere volet".

Quamvis enim illi, quod in ipsis est, se obligent in perpetuum suae devotionis et stabilitatis gratia; liberum

tamen erit Societati eos dimittere, uti in secunda Parte (Constitutionum) dicitur (205); quod si accideret, tunc liberi ab omnium votorum obligatione manent» (536).

Quae hic de votis condicionatis diximus, praepriis quoad perpetuitatem votorum quaedam attendenda sunt; perpetuitas in dono Deo sui ipsius peragendo non minuitur, immo et plene exprimitur; perpetuitas ex parte Societatis ex eo minuitur quod ipsa vota emissa, condicione de tempore adiecta, possibili dispensatione ex parte Praepositi Generalis dispensantur et quidem non nisi ex causa proportionata ad casus varios gravi; immo omnis in agendi eius ratione indebita libertas vel negligentia, ipsa adiecta condicione, evitatur.

Ut videbimus, non tantum in votis Societatis emissis fit conditio aptitudinis exigendae vel acquirendae ut quis definitive in gradum suum recipiatur, immo et conditio ad incorporationem in gradu obtinendam sed ipsa in professis obligatio alio modo, uti videbimus, si non canonice, spiritualiter, condicione propria, afficitur et quidem explicite.

Conditio autem expressa *in votis biennii* est duplex: una de receptione in Societatem, altera de gradu attribuendo in posterum. Quae etiam de Coadiutoribus valuit qui, studiorum et sacerdotalis ministerii peragendi capaces, ex propria vocatione et voluntate voluerunt in gradu Coadiutoris temporalis assumi et servari. Quae eorum optio semper remansit subiecta determinationi Praepositi Generalis.

Immo, uti vidimus, Coadiutores spirituales ad professionem in Societate peragendam sunt admissi ad professionem trium votorum sollemnium qui et plures in officio proprio, praesertim Superioris, pleno iure munera sua exercere possent. Quae assumptio Superiorum tali quidem modo, neque ipsis neque aliis

semper proficua fuit, qui in professores Societatis tardius sunt adnumerati.

II. De voti condicionati origine, natura et momento e vita et experientia S. Ignatii de Loyola illustratis

Legenti scripta ignatiana inter quae eminent Societatis Iesu Constitutiones, magnae videntur in eis novitatis haec vota condicionata quae, uti diximus, post secundam probationem a novitiis emittuntur, ut vel «Scholastici» vel «Coadiutores temporales approbati» fiant. Nemo non videt cur, qui huic studet rei, non apud Ignatium ipsum quaerat talis voti originem, naturam et momentum. Qua enim peracta inquisitione, ipsius professionis religiosae sollemnis vel simplicis melior fit intelligentia.

E vitae Sancti Ignatii monumentis, et dictis et factis, paulatim apparet quomodo ipse Ignatius qui se totaliter Deo dedicatum voluit, vota ipse variis quidem sub formis et de materia semper melius definita et formulis propriis plenius expressa emisit.

A momento suae conversionis Ignatius sese plene Deo dare voluit et primo quidem in solitudine cartusiana, postea exemplum sequendo Francisci Assisiensis et Dominici; fit peregrinus in Terra Sancta; studet variis in Scholis et quidem etiam Lutetiae Parisiorum, ubi primos habuit stabiles sequaces et socios. Sacerdotio auctus, ad Summum Pontificem cum illis sociis iter fecit ut ab eo in servitium apostolicum assumere-tur. Approbata Instituti Societatis «formula» a Paulo III die 27 septembri 1540, professionem fecit ultimam in Basilica S. Pauli die 22 aprilis 1541. Quae omnes deditionis et vinculationis formae sunt examini subi-ciendae ut in eis appareat condicio quae ab eo

apponatur usque ad diem definitivae professionis quae ab Ignatio, iam Praeposito Generali electo, est emissa et eodem die ab eius sociis peracta; qui socii Praepositi subditi esse voluerunt.

Quae varii vitae Ignatii et Societatis gressus nobis nunc sunt contemplandi.

Qui hanc Ignatii deditionem ipsius verbis expressam invenire velit, nihil melius inveniet formulae orationis eius in contemplatione ad amorem obtinendum stabilitae:

*«Sume, Domine, et suscipe
omnem meam libertatem,
meam memoriam, meum intellectum et
omnem voluntatem meam;
quidquid habeo et possideo;
tu mihi haec omnia dedisti,
tibi, Domine, ea restituo:
omnia tua sunt,
dispone de illis pro omni voluntate tua.
Da mihi tuum amorem et gratiam,
nam haec mihi sufficit» (234).*

Quae litteralis versio utiliter comparatur cum versione vulgata latina:

*«Sume, Domine, universam
meam libertatem.
Accipe memoriam, intellectum
atque voluntatem omnem.
Quidquid habeo vel possideo,
mihi largitus es:
id tibi totum restituo,
ac tuae prorsus voluntati trado
gubernandum.
Amorem tui solum cum gratia tua
mihi dones et dives sum satis
nec aliud quidquam ultra posco».*

Quae versio latina vulgata, etsi pulchra, plura e textu hispanico non assumit aliaque expressius dicit, praesertim cum tota suis ipsius oblatio et deditio videatur ut paupertatis professio, qua paupertate ipse dives fit satis, amore quidem divino cum gratia a Deo concessa. Translatio ergo plura in hunc sensum exprimit; praeferenda videtur accurata translatio quae plenioris et largioris est oblationis.

At in Exercitiis spiritualibus peragendis, ipse Ignatius paulatim plura in voluntate exercitantis exprimenda condicione definit, quo maior fiat in sequela Christi fidelitas, maior exercitantis et progressiva deditio. Iam initia huius progressivae donationis suggeruntur in colloquio cum Christo crucifixo, quod his verbis a S. Ignatio exprimitur:

«Imaginando Christum Dominum nostrum praesentem et in cruce positum, colloquium cum ipso instituere quaerendo quomodo, Creator cum esset, eo devenerit ut hominem se fecerit, et ab aeterna vita ad mortem temporalem, et ita ad moriendum pro meis peccatis. Ibidem inspiciendo meipsum, percontari ex me quid egerim ego pro Christo, quid agam pro Christo, quid agere debeam pro Christo. Atque in videndo illum talem et ita fixum in cruce discurre per ea quae se obtulerint.

Colloquium fit proprie loquendo, sicut amicus loquitur ad alterum, vel servus ad dominum suum, modo petendo aliquam gratiam, modo incusando se ipsum mali alicuius commissi, modo communicando res suas et petendo consilium in illis» (53).

Quae orandi forma adiuncta proponit examinanda et ponderanda vitae et actionis, orationis et conversionis quae decursu Exercitiorum spiritualium ad totalem possunt conducere donationem sui ipsius, adiectis semper condicionibus quibus voluntas Dei possit cognosci et elegi perfectius et fidelius. Quae

editio sui ipsius primam eius obtinet expressionem in oblatione maioris aestimationis et momenti:

«O Aeterne Domine rerum omnium, ego facio meam oblationem cum tuo favore et auxilio, coram infinita Bonitate tua, et in conspectu gloriosae Matris tuae et omnium Sanctorum et Sanctarum Curiae coelestis, attestans quod ego volo et desidero, et mea est determinatio deliberata, dummodo sit maius servitium tuum, imitari te in ferendis omnibus iniuriis, et omni vituperio et omni paupertate, tam actuali quam spirituali, si Maiestas tua sanctissima voluerit me eligere ac recipere ad talem vitam et statum» (98).

Quae oblatio in mente offerentis est plena, a voluntate et gratia Dei condicionata; quae de se non est «votum» technice loquendo sed oblatio seu donatio sui ipsius. Immo obiectum condicionis est ad ipsum vitae statum agnoscendum et sequendum melius et fidelius iuxta divinam Maiestatem. Quae oblatio fit coram infinita Bonitate Christi et in conspectu eius gloriosae Matris atque Sanctorum et Sanctarum omnium, quae sunt in Curia coelesti. Utile est vulgatum videre huius textus translationem, qua plura non tantum minus recte vertuntur sed quaedam interpretationem accipiunt; est sequens:

«En, o rex supreme ac Domine universorum tua ego, licet indignissimus, fretus tamen gratia et ope, me tibi penitus offero meaque omnia tuae subicio voluntati: attestans coram infinita Bonitate tua, necnon in conspectu gloriosae Virginis Mariae Matris tuae, totiusque Curiae coelestis, hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum: ut (dummodo in maiorem laudis tuae et obsequii mei proventum cedat) quam possim proxime te sequar et imiter in ferendis iniuriis et adversis omnibus, cum vera, tum spiritus, tum etiam rerum paupertate; si (inquam) sanctissimae tuae Maiestati placeat ad tale me vitae institutum eligere atque recipere» (98).

Quaedam in translatione hac peracta assumuntur quae in formula votorum biennii habentur; Maiestas divina et Bonitas de qua loquitur qui se offeret Christo est Christi quem sequi velit. Paupertas est realis et spiritualis; quae hic realis dicitur, actualis habetur in formulae textu ignatiano. Unum habetur magni momenti: textum quem legimus voluit Ignatius ut oblatio qua omnia voluntati Christi submittit iuxta ab ipso determinanda circum vitam paupertatis quae est actualis et spiritualis, immo et circa ipsum statum vitae in electione statuendum.

Quae oblatio, etsi plena, ulterius est ut condicio-nata a voluntate divina determinanda et amplectenda. Quae condicio hic non est Praepositi vel Superioris apposita; est primo et essentialiter ipsius Dei sequenda voluntas tum in vita interna quam externa, statui vitae propria.

Percurrendo ipsum Exercitiorum spiritualium decursum, etsi plura de electione vitae et sui ipsius oblatione essent notanda, una nobis remanet formula deditionis examini subiicienda. Est in meditatione de duobus vexillis, orationis seu colloquii triplex forma quae ab ipso Ignatio non suis exprimitur verbis sed cuius elementa exercitanti proponuntur. Textus orationis suggeritur quae primo ad Mariam est dirigenda (147 a), postea ad eius Filium ut ea a Patre obtineat (147 b), et in fine ad Patrem ut ipse concedat quae exoptantur ut iuxta suam sanctissimam voluntatem fiant et obtineantur (147 c). Quae formulae oblationis omnes sub condicione exprimuntur ut Deo magis placeant et suae voluntati aptentur. En textus colloquii ad Mariam primo componendi:

«Colloquium fiat ad Dominam nostram ut mihi obtineat gratiam a suo Filio et Domino; ut ego recipiar sub eius Vexillum: et primum in summa paupertate spiritali; et si

divinae suae Maiestati placuerit, et me eligere et recipere voluerit, non minus in paupertate actuali: secundo, in tolerandis opprobriis et iniuriis, ad magis in illis eum imitandum: dummodo possim eas tolerare absque ullius peccato et absque disgustu suae divinae Maiestatis (147 a).

Sequuntur repetitiones faciendae: «*petere eadem a Filio ut ea mihi obtineat a Patre*» (147 b) et tertio «*eadem a Patre ut ipse ea mihi concedat*» (147 c).

Quae omnia illustrant mentem S. Ignatii, quae ipse in oblatione totali divinae Maiestati et Bonitati facienda condicionate semper expressit quae a voluntate Dei erant determinanda et obtinenda. Quae aperitio cordis ad hanc submissionem in tota expressit vita, in scriptis et in variis vitae in Societate explendae gradibus, qui gradus a Praeposito determinantur ut magis concordent voluntati Dei «*cuius ipse locum tenet*» (527; 535).

Etsi in votis condicionatis plura admitti et exprimi possunt quae sint prudentiae et sapientiae atque hodie pluries utilia videantur variis in institutis in modo sese offerendi et profitendi, utiliter hic praeprimis extollendus est animus quo vota, desideria et proposita «sub condicione» declarantur et assumuntur. Quae condicio non est praeprimis iuridicae determinationis ad vota facilius et aptius solvenda sed sunt spiritualis et institutionalis condicionis ut Divinae Maiestati et Bonitati sit in vita melior submitio et profundior mentis et cordis adhaesio.

Quae in Exercitiis spiritualibus habentur ut condiciones oblationi vel deditioni appositae, etiam in ipsa professione votorum sollemnium apponuntur; quae condiciones non sunt, ut in aliis modis cooptationis in Societatem diversi gradus vel coetus personarum sed condiciones vitae in oboedientia aptandae et iuxta ministeria assumenda, eligendae et peragendae.

Qui Constitutiones Societatis Iesu attente legat, videt quomodo ipse Societatis sodalis et socius Iesu has condiciones obtineat varias ipsi vitae et actionis formis adiunctas. Iam initio diximus qua interna gaudeat libertate et externa in modo orandi, meditando, studia peragendi necnon in corporali exercitatione ieiuniorum, vigiliarum et aliarum rerum ad austeritatem vel corporis castigationem spectantium. Quae tamen libertas est libertas spiritus qua «*discreta caritas*» in tota vita exercetur. In hac materia socius Iesu et Societatis sodalis condicionate agit, sicut et nunc in re apostolica velimus haec adumbrare ex ipsis textibus Constitutionum selegendis et brevi commentario illustrandis. Professio ipsa tali modo condicionata habetur. Quae condiciones in vita apostolica Societatis Iesu facilius habentur, immo ad mentem S. Ignatii exiguntur. Qua varietate condicionum fit maior apostolica adaptatio. Quae varietas eo minus habetur in Instituto vitae consecratae quo strictior fit vitae liturgicae et communitalis regula omnibus vi vocationis communis imponenda.

In ipsis Constitutionibus, libro VII cuius titulus est: «*De iis quae pertinent ad admissos in corpus Societatis ad proximorum utilitatem per vineam Domini distribuendos*», iam distinguuntur «*Missiones Summi Pontificis*» (603-617) et «*Missiones Superioris Societatis*» (618-632). Quae missiones a Summo Pontifice vi specialis voti sollemnis in professione expressi a Professo Societatis assumuntur.

Iam maximi momenti est initio libri VII haec materiae distinctio:

«*Ut in sexta Parte de iis dictum est quae observanda sunt cuique de Societate erga seipsum, ita in hac septima de iis dicendum est quae erga proximum (qui finis nostri Instituti valde proprius est) dum dividuntur per Christi*

vineam, ut in ea illius parte atque opere quod ipsis commissum fuerit, se exerceant, observari debent» (603).

Quae missio in Constitutionibus quadruplex proponitur quo fit semper nova vitae et actionis condicio. Missio fit sive a Summo Pontifice, sive a Superioribus Societatis Iesu qui etiam divinae Maiestatis locum tenent. Sic mitti possunt ut per diversa loca peragrentur (603); sed tertius est missionis modus *«si ipsorum iudicio relictum fuerit ut discurrant quacumque maius Dei et Domini nostri obsequium et animarum profectum assequi se posse arbitrentur» (603).*

Quartus est «modus», si labor sit impendendus, non loca peragrando diversa sed in stabili ac continua habitatione, in aliquibus locis ubi magnus divinae gloriae et obsequii proventus speratur (603).

De his quattuor modis in vinea Domini agendi, nunc quaedam sunt elementa sublineanda.

Intentio sese devovendi ad missiones fuit ipsius vocationis in Societate condicio. In Constitutionibus enim dicitur in quadam declaratione:

«Intentio quarti voti ad Summum Pontificem non tendebat ad locum aliquem particularem; sed ut per varias mundi partes, qui vovebant, spargerentur. Cum enim, qui primi convenerunt in hanc Societatem, ex diversis provinciis et regnis essent, nec eis constaret, inter quas regiones fidelium vel infidelium versari deberent; ne in via Domini errarent, promissionem illam vel votum emiserunt, ut Summus Pontifex eos ad maiorem Dei gloriam et iuxta ipsorum intentionem per orbem discurrendi distribueret; et sicubi optatum spirituale fructum non invenirent, ut inde in alium vel alium locum maiorem Dei gloriam et animarum auxilium investigando, se conferrent» (605).

Quae alia Professi vota observanda sunt sub conditione ipsius missionis receptae et quidem de ipsa paupertate servanda in ea exsequenda:

«Qui a Summo Pontifice designatus fuerit ut aliquo se conferat, seipsum liberaliter, re temporali nulla pro viatico per se vel per alium postulata, offerat; quin potius sic a Summo Pontifice mittatur (E) ut Eius Sanctitas ad maius Dei et Sedis Apostolicae obsequium fore, nulla rei alterius in eo habita ratione, iudicaverit» (609).

Quae declarabatur declaratione, (E) in textu signata, prout sequitur:

«Hoc sane repraesentari poterit, immo debet, per Praelatum aut quemvis alium, per quem Summus Pontifex iubet aliquo proficisci, quae sit eius mens de modo itineris conficiendi, et ibidem, quo mittitur, manendi; num ex eleemosynis propter Christi amorem emendicatis, an alio modo vivendo; quod enim Summo Pontifici melius videbitur, devotius et securius in Domino fiet» (610).

Quae de permanentia in loco dicitur, semper subsunt non solum praecepto recepto sed propria discernenda sunt mente:

«Cum in locis designatis diutius erit residendum, si fieri poterit sine detrimento principalis missionis atque intentionis Summi Pontificis, excursions aliquas si poterit, et cum fructu divini servitii eas fore iudicabit, facere non erit inconveniens; ut, in locis vicinis animarum auxilio serviens, postmodum ad suae residentiae locum redeat; in quo quidem praeter id quod est ei peculiari ratione iniunctum (ad quod praecipuam etiam conferet curam nec propter alias occasiones licet bonas, divini obsequii posthabebit) potest et debet considerare quibus aliis in rebus, quae ad Dei gloriam et animarum salutem conferunt, suam operam sine detrimento suae missionis (ut dictum est), possit impedere. Opportunitatem autem quam Deus ad id dederit, quantum in eodem convenire iudicabit, e manibus elabi non sinet» (616).

Quae sub condicione dicta sunt, discernendo sunt peragenda atque omnia ad maius Dei et animarum

servitium exsequenda. Eadem videri possunt dicta de missione recepta a Superiore Societatis. Quae etiam fuse exponuntur in capite II libri VII Constitutionum sub nn. 618-632. In eodem spiritu sunt conscripta quo modo vel in itinere agendo vel in labore perficiendo et eligendo sunt convenientia vel magis ad maiorem Dei et animarum servitium sunt determinanda vel discernenda. Unus textus hic ad confirmationem huius rationis vitae et actionis explanandam attulimus:

«Quod ad modum attinet eos mittendi (praeter convenientem instructionem) num pauperum more ut sine iumento ac pecunia, an maiori cum commoditate mitti oporteat; cum litteris item, an sine illis, quo tendunt, destinatis (sive ad privatos aliquos homines, sive ad civitatem vel eius caput scribentur, quae ad auctoritatem aut benevolentiam conferant), Superior, undecumque maiorem proximorum aedificationem et divinum obsequium intuendo, quod convenit, constituat» (625).

Plura alia utiliter hic notanda et declaranda esse videntur; at haec sufficiunt, nam maiora et essentialia sic describuntur ut quis intelligat quomodo in vita apostolica ministerium exsequatur sub oboedientia eius qui misit simulque remaneat in mittente et misso cura inveniendi, discernendi et exsequendi quae maioris sunt momenti ad maiorem Dei gloriam et animarum salutem.

Quae hic perspicimus, optime de votis sub conditione emissis tenenda sunt. Condicio non est simplex iuridica quaedam voti qualitas, et quidem restrictiva; condicio de ingrediendo in Societatem, de retinendo in Societate Coadiutore, latius etiam patet cum in ipso ministerio peragendo tot sunt quae ultro determinantur de loco, de tempore, de agendi modo ab auctoritate quae mittit sed et simul plura semper colliguntur cum voluntate discernendi eius qui mittitur ut quae

maioris obsequii divini et animarum servitii sint eligenda et facienda.

His dictis patet et «vota biennii» quae sunt condicionata et vincula Coadiutoris tum spiritualis, tum temporalis in Societate admissi pro tempore quo in ea retinentur, immo et vita Professi eo magis Dei voluntati subsunt quo plenius eam discernendo cognoscatur et perficiatur. Una est et unica in his condicionibus allatis retinenda, nempe voluntas et desiderium maioris Divinae Maiestatis et Bonitatis obsequii in servitio animabus praestando iuxta eandem Dei voluntatem eiusque beneplacitum exsequendum.

III. De modo sese consecrandi Deo in Institutis vitae consecratae aliisque Societatibus et associationibus ab Ecclesia approbatis

Experientiae vitae in Societate Iesu plura etiam hodie apparent momentosa, immo in renovatione vitae consecratae et in novis institutis vel in sic dictis «motibus ecclesialibus» applicabilia.

Vota condicionata habent in ipsa intelligentia vitae per evangelica consilia consecratae elementa quae clariorem de talis vitae natura foveant scientiam et significationem.

Immo, hodie ob ipsam naturam vitae consecratae in saeculo, haec vota obtinent effectus laudabiles, tum in vocationis dono discernendo et servando, tum in reductione personae iam consecratae in vitam ordinariam inter fideles facilius reintegrandam. Quae etiam ad vitandum scandalum aliquando utilia, immo necessaria sunt.

1. *Vota condicionata in ipsa vitae consecratione servanda adhibita*

In ipsa vitae consecratione vota condicionata, quia perpetua, plenitudinem deditionis ex parte sodalis non tantum expresse significant sed eum etiam de consecrationis momento instruunt et clare admonent. Nemo sese quocumque modo Deo potest consecrare qui non dono definitivo et de se perpetuo conscie dedicat. Immo ex voluntate Ecclesiae, si ante vota perpetua fiant etiam obligatorie vota temporaria, ea vota emitti non possunt «ad tempus» ex parte voventis et recipientis sed, pro utraque parte, intentione perpetuae deditionis sunt emittenda et peragenda. Quae mens legislatoris non semper clare inculcatur et exponitur, immo non raro ignoratur.

Si autem vota, etiam prima, sunt de se in vovente aperte perpetua, donatio sui ipsius fit profundior et plenior. Verba quae proferuntur, non tantum animum voventis exprimunt sed eum efformant et extruunt. Quae vota, si repetuntur, semper melius hanc donationis perpetuitatem inculcant et efferunt.

Unde hac prima iam ratione, si essent possibilia et prudentia, optanda essent prima vota fieri semper perpetua, etsi, uti dicimus, ex parte Superioris condicionata. Notandum est condicionem lege apponi et Superiori reservari, non autem a vovente dependere, immo ab eo ipso non statui.

Professio monastica diu post novitiatum directe fuit sollemnis et ergo perpetua, a iunioribus incaute peracta et difficulter dispensabilis. Quae professionis non solutae occasio fuit gravis animae turbationis et aliquando fidelium scandali inevitabilis.

Vota temporaria introducta sunt ad maiorem animi libertatem et maturitatem fovendam, at fuerunt

etiam ratio facillioris egressus et minoris in statu vitae consecratae perseverantiae. Ipsa vota, eo ipso quod sint perpetua, ratio fiunt et causa maioris fidelitatis in difficultatibus, maioris fortitudinis in via plenae dedicationis proseguenda.

At remanet difficultas non minoris ponderis ex parte Superioris. Etsi dispensatio votorum vel egressus vi condicionis appositae est res Superioris, aliquando in ipso Superiore deest, vel prudentia in dispensatione, vel sollicitudo pastoralis in adiuvando eo qui de vocatione vel dubitat vel ob eam oneratur, quia ingrediens in Institutum ipse erravit vel eius consiliarius.

Vota temporaria, uti dicunt, momento quo non iam ligant, libertatem ad novam vitae electionem parandam concedunt et, ipsa die qua non obligant vota, aliquis libere ex Instituto egreditur (c. 688 § 1). Quae tamen non semper vera sunt; finem temporis vota emissa definiunt; saepe autem ea, hoc perdurante tempore, fideliter et sancte servari non iam possunt. Grave fiunt vota ipsa non iam a professo servata conscientiae onus eique pacis obstaculum imponunt.

Unde haec difficultas saepius occasio et ratio est ut vota temporaria ab ipso Superiore maiori dispensari possint. Quod novus codex Superiori competenti concessit, qui Superior in Institutis iuris pontificii est moderator Instituti supremus, qui de consensu sui consilii tantum agat; in aliis Institutis competens est Episcopus domus assignationis iuridice quidem, quin canon de consilio praevio ab eo petendo aliquid dicat (c. 688 § 2). Cognoscitne Episcopus regulam vitae, statum personae, Superioris iudicia? Dispensatio vi codicis datur *petenti*, dum e contra, si vota sunt condicionata, non petenda est dispensatio sed exponendae sunt difficultates remanendi et discedendi

rationes. Quae apertura seu manifestatio causae, personaliter peragenda, vera et clara optanda est; ad eam sunt efformandi, qui talia vota condicionata emittunt; quae formatio simul est sinceritatis et fidelitatis erga Deum et Superiorem. Sunt enim recte exponenda et aestimanda motiva proposita; saepius autem fit difficilior apertura, ubi deest in Superiore paternitas vera, praevidetur iudicii rigiditas et timetur voluntatis duries.

2. *Vota condicionata in discernendo et servando vitae consecratae dono adhibita*

Etsi proponantur in his votis condicionatis emittendis difficultates tum ex parte voventis, tum ex parte Superioris — quae difficultates non sunt leves, ignorandae vel negandae — remanet in eis emissis, praeter perpetuitatem doni Deo peracti continua occasio discernendi et servandi vitae normam et viam.

Quae discernendi ratio, quae est sinceritatis et fidelitatis, praeprimis est orationis et contemplationis causa. Quo maior fit ratio discernendi, profundior fit simul orandi propositum. Res enim agitur Dei, qui aliquem ad vitae consecrationem elegit et vocavit; consecratio est Dei; vocatio est divina; ipsam aliquis sequi non potest quin sit certa, et motiva supernaturalia in ipso vocato sint perspecta et confirmata. Quae Deo totius vitae donum peragendum non potest non esse ratio discernendi, iudicandi et decidendi.

Si haec omnia initio sunt orando peracta, orando sunt etiam complenda. Qua de causa vota perpetua, condicionata ex parte Superioris et incondicionata ex parte emittentis, ratio et causa sunt vitae internae fovendae, orationis peragendae, vocationis in ipso Evangelio contemplandae et Christi Domini coniunc-

tionis roborandae. Quae hic breviter exponuntur ut pondus spirituale talis consecrationis perpetuae plenius perspiciatur.

Quae omnia ad formationem spirituales semper magis personalem et doctrinalem fovendam sunt continuo felix occasio. Qualitas vitae consecratae praeprimis non in regula vitae fundatur sed in ipsa vitae consecratae assumptione et executione, personali quidem et illuminata. Quod dono Dei innititur. Quod donum non tribus tantum primis annis intelligitur. Si vota temporaria hodie iuxta codicem novum ad sex annos, immo aliquando ad novem annos protrahi possunt, prolongatio semper ratione maturitatis personalis auditur et proponitur, non autem ob plenior ipsius charismatis intelligentiam et in vita personali et fraterna assumptionem. Quae vota condicionata in Societate Iesu uti talia remanent usque ad studia omnia peracta et aliquam in apostolica activitate experientiam obtentam.

Vota ultima, quae sunt professionis vel votorum Coadiutorum sunt conclusiva totius formationis; immo in cooptandis in Societatem membris obtinent etiam momentum missionis. Quae ultima significatio non est oblivioni tradenda, sed e contra elucidanda. In institutis vitae apostolicae omnibus, canonicalibus, conventualibus sed praesertim plenioris mobilitatis, haec votorum emissio, in adulta aetate prospicienda, momentum apostolicum Instituti suo modo efferunt et sustinent.

Quae personarum diversitas apud Ignatium fontem habuit, uti videtur, cartusianum; in Ordine autem cartusiano distinguuntur monachi claustrum seu plene solitudinis et monachi seu fratres qui eis inserviunt ut et ipsi propriae vocationis remaneant plene dediti; immo et distinguuntur «donati», qui sicut et ultimi in

cartusiana vivunt familia, quin votis sed promissione Ordini adscribantur. Distinguntur ergo in eodem charismate vocationes et mansiones variae, quae omnes, etsi distinctae, plenam possunt obtinere in amore Dei caritatem et vitae consecrationem.

3. *Vota condicionata in saeculo magis discreta*

Ex eo quod habentur vota condicionata ab Ecclesia iam approbata, quaestio utiliter poni potest cur non obtineri possint et in aliis Institutis, immo speciali ratione in Institutis saecularibus. In his enim Institutis plura habentur et vinculorum genera atque in eisdem regulariter emittendis, immo et in eis dispensandis, difficiliora.

Sunt Instituta saecularia quae vota habent tantum temporaria, immo annualia, semper renovanda at, post tempus sat longum, etsi semper renovanda, fiunt, uti dicunt, «definitiva». Sunt et alia Instituta quae temporaria habent vota diutius renovanda quae post saltem decem annos, immo et longiorem periodum, vota perpetua non tantum admittunt sed praescribunt omnibus emittenda. Sunt insuper Instituta quae nulla admittunt vota sed promissiones tantum emittunt. Quae promissiones sunt annuales, aliquando fiunt post annos definitivae, immo et emittuntur perpetuae.

Sunt autem inter Instituta unum alterumve quod, ne fiant vota vel promissiones, «consecrationem» sibi ut generale et complexivum vinculum excogitat; at ab Ecclesia ipsa talis consecratio ut votum est declarata. Qua declaratione utilitas generalioris formae donationis est evacuata. Insuper et in ipso Instituto deperditur valor ipsius consecrationis, si temporaria habetur,

uti sunt temporaria vota semper vel saltem per sex vel decem annos renovanda.

Consecratio, ut retineat suum valorem profundum, sit totius vitae consecratio seu oblatio; quae consecratio fundamentalis est valoris, etsi vincula, vota vel promissa, temporaria sint sed renovanda. Quae vincula temporaria non assumuntur, nisi voluntate sese Deo perpetuo devovendi et offerendi emittantur et recipiantur.

At clare apparet cur vota ex parte emittentis sint directe perpetua sed ex parte recipientis vel dirigentis condicionata.

Immo, si in votis est ut talia ligamina approbari possint ab Ecclesia, simul exoptatur ut qui vincula haec sacra assumat, ad talem mentem et praxim discernendi voluntatem divinam instruatur et efformetur. Quae omnia videntur maioris devotionis et plenioris consecrationis. Non videtur consecratio vitae fieri plenior quia vincula sint strictiora i.e. perpetua potius quam temporaria, sollemnia potius quam simplicia sed e contra fit profundior et plenior, si ex amore Dei et animarum fiat magis divinae voluntati submissa et aperta.

4. *Elementa de voto vel vinculo condicionato melius definienda*

Ne vota condicionata sint et causa incertitudinis et dubitationis, plura elementa canonice et quidem modo technico sunt consideranda et exprimenda, tum in doctrina alicuius coetus in quo fiunt propria, tum in vinculorum clare definienda natura et materia bene determinanda, etiam, si placet, in ipsa consecrationis formula. Quae vota etiam in ordine virginitatis vel

viduitatis consecratae saltem temporanee prudenter adhiberi possunt.

a. *Elementa in doctrina melius exponenda*

Cum iam plura sunt propter Instituta saecularia in doctrina profundius examinata et melius determinata, ad vitae consecrationem non sunt vota nuncupanda. Potest in hac materia adhiberi promissio, immo iuramento confirmata.

Non iam dicatur oportet consecratio vitae «religiosa» propter vota, immo hodie distinguuntur vota religiosa in Instituto religioso emissa a votis quae «saecularia» dici possunt in Instituto saeculari adhibita.

Immo non vota sed consilia evangelica magis sunt contemplanda et efferenda, cum iuxta doctrinam Concilii Vaticani II consecratio fit assumendo in actu professionis vel deditionis ipsa tria consilia evangelica sub voto vel promissione etiam iurata.

Deinde, distinguendo melius consilia a votis quibus in consecratione vitae utuntur plura Instituta etiam saecularia, maior apparet extensio consiliorum, quae assumuntur non tantum obligatione iuridica iuxta Constitutiones vel statuta sed in praxim deducuntur divinae vocationi personali responsione; qua divina directione consilia magis generose et personali melius percepto modo in vita sodalium applicantur et observantur.

Quae omnia ductu magistri spiritus vel adiutorio consilarii periti recte discernenda et concrete applicanda sunt.

Ipse consecrationis actus non est religionis sed amoris dicendus. Qui actus est quo tota vita Deo animabusque consecratur. Talis actus est prius perso-

nalis quam institutionalis, etiam in Instituto ab Ecclesia approbato. Consecratio vitae semper est individualis, quia vocationi divinae personali correspondet. Semper melius in luce est ponenda haec personalis vocatio, quae ad Institutum ducit et in Instituto fit, a vocatione vel obligatione quae statutis hucusque generali magis quam personali modo exponitur. Quae distinctio in omnibus Institutorum vitae consecratae et similibus coetibus est exponenda melius et proponenda, ad maiorem quidem fidelitatem promovendam maioremque vitae sanctitatem exoptandam et adipiscendam.

b. *Natura et materia talium vinculorum melius exponendae*

Ut recte natura vinculi condicionati exprimatur, duo sunt arcte coniungenda elementa: vitae deditio et media quibus ipsa exprimitur et peragitur.

Unde ex parte eius qui sese Deo consecrat, ipsum donum sit eiusdem ponderis et vigoris, nempe plenae donationis. Quae donatio a Deo potius quam ab homine definitur. Ipse Deus, quem vocat, ad plenitudinem donationis adducit, fortiter saepius sed suaviter; qui Deum vocantem sequitur, sese Ei totali dono etiam nondum determinato consecrat atque sese amoris tradit divino accipiendo et assumendo. Unde ex parte voventis donum sit de se intentione perpetuum; immo et materia consiliorum sit aperta et iuxta Sancti Spiritus ductum servanda. Non sufficit prima clarificatio, qua dicitur votum condicionatum esse de se ex parte voventis perpetuum; sit oportet plenum prout voluntati divinae sit submissum et apertum.

Ipsa ergo «condicionalitas» voti intelligenda et dicenda est divinae voluntati submissio; quae submis-

sio est exprimenda et applicanda, tum in ipsa vocatione discernenda, tum modo quo eam quis exsequatur determinando. Condicionis adiunctio et applicatio praeprimis est fundatoris, quae insuper statutorum sit et Superiorum, at ipsa condicionis applicatio ab ipso vovente potest discerni et expeti. Quae voventis condicio, si non sit ab aliquo Superiore instituti definita, pro his qui individualiter Deo sese consecrant, a consiliario spirituali examinari et determinari potest. Qui tali munere consilarii recte agit, ipsum vinculo obstrictum coram Deo et in conscientia ab eo liberat. Numquam vovens vel promittens sub conditione seipsum solus a tali voto vel promissione prudenter liberari potest.

c. Votorum vel promissionum sub conditione in virginitate et viduitate prudens applicatio

Quae ultima animadversio nos prudenter ducit ad voti condicionati applicationem in statu virginitatis et viduitatis. Qui status est personalis et individualis, non necessario a lege ecclesiastica determinatus vel a statuto alicuius institutionis vel consociationis definitus. Qui status individualis et coram Deo in forma voti vel promissionis assumi non potest, nisi audito consilio personae in re spirituali peritae, quae sit vir vel mulier, laicus vel sacerdos, qui voventem spiritualiter ut adiuvet, bene cognoscat et iam diutius dirigat.

Virginitatis et viduitatis consecratae status non necessario lege canonica est definiendus. Immo Episcopi proprii approbatio potest etiam ipsam personae sese devoventis ob rei publicitatem vitam familiarem et personalem turbare. Quae omnia sunt prudenter et clare, adiuvante consiliario in re ipsa perito, considerata et perpendenda. Si ecclesialis benedictio obti-

neri potest, immo et aliquando exoptatur, ipsa valor consecrandae virginitatis vel viduitatis praeprimis e dono divino vocantis exoritur cui tota cordis dedicatione quis plene et generose respondere potest. Quae institutionalia sunt, non excludunt quin spiritualia assumantur individuali et discreto modo, si Deo vocanti melius respondeant. Quae talis spiritualis in casu solitudo etiam silentiosa et maioris deditiois signum esse potest et causa.

IV. Conclusiones

Concludendo ex elementis tam spiritualibus quam canonicis, quae sunt Societatis Iesu propria, haec proponi posse videntur:

1. Consecratio sui ipsius Deo animabusque est actus amoris quo tota sui ipsius fit oblatio qua semper magis respondetur Deo unice amato et amoris eius in vocatione divina expresso et concesso. Consecratio vitae est consecratio simul a Deo et consecratio qua vocatus Deo respondet, sese ipsi per Christum, cum Christo, in Christo consecrando.

2. Quae vitae consecratio actus est amoris qui in ipsa divina vita suam habet propriam relationem. Est enim responsio amoris in Christo ad Patrem vi Spiritus Sancti peracta. Ipse vocat Deus Pater ut ab eo quis vocatus sit cum Christo, eius Filio, unitus in Spiritu sancto. Consecratio vitae est in amore trinitario plenior insertio et unio.

3. Vota proprium valorem, ab ipsa consecratione distinctum, obtinent; his vinculis promittuntur quae sunt exercenda ut responsio amoris Deo exprimendi sit fidelis. Assumuntur in hoc amore divino vota et promissa emissa et servanda. Sunt actus cultus

divini sed superantur vi amoris quem ipse Deus exprimit ut ei respondeatur ad mensuram gratiae unicuique communicatae. Vota et promissa considerata sunt recte ut actus cultus, vocantur autem «religiosa» in iure Ecclesiae (c. 731 § 1), si sunt in Instituto religioso emissa. Quae vox hodie «religiosa» potius figuram Instituti designat quam virtutem qua assumuntur et offeruntur.

4. Clarius semper perspiciendus est valor consecrationis, quae est totalis sui ipsius oblatio et donatio qua Dei dono respondetur. Quae responsio, ut sit totalis, est consiliorum evangelicorum observantia, quae symbolice, materia votorum, exprimitur et eorum obligatione arctius definitur et limitatur. Consiliorum autem praxis latior patet quam votorum et promissionum observantia; immo votorum observantia superatur vi consiliorum, qua ipsius amoris exprimitur responsio et cum Deo in tota vita peragitur unio.

5. Quae consiliorum expressio seu praxis varias cognovit in Ecclesia formas quibus contrahuntur et celebrantur. Saepius uno voto oboedientiae omnia assumebantur et quis profitebatur; paulatim et paupertatem devoverunt materialem ut fiat semper maior paupertas spiritualis ab amore divino postulata et suscitata. Castitas quae perfecta dicebatur, est castitas sacro vinculo assumpta et in continentia coelibatus servanda.

6. Tria autem consilia sunt unius doni expressio, quo amor Dei unicus et plenus exprimitur ut filialis deditio Patri in Christo peracta vi amoris qui Spiritus Sancti est. Hodie tria vota in professione religiosa assumuntur et exprimuntur, quae tamen vi amoris in vitae consecratione propriam obtinent unitatem et similitudinem.

7. Experientia S. Ignatii vivido exprimitur modo et proclamatur quomodo vita propria Deo consecrata fiat responsio amoris qua Deus unice quaeritur et desideratur, eique semper magis quis adhaeret et unitur, ut sit Deus, ei qui se dedat, omnia, eique sufficiat, et ipse in plenitudine Dei quiescat.

8. Consecratio vitae est amoris trinitarii expressio et in hoc amore consecrati assumptio. Quae vitae consecratio fieri non potest nisi sit in oblatione Christi unita in suo filiali amore erga Patrem. Quae oblatio Christi unica et ipsa vi Spiritus Sancti est peracta, quae est aeterni Sacerdotis in divino amore Redemptoris praesentia et plena hominum redemptio aeterna. Consecratio vitae fieri non potest nisi in sacrificio Eucharistico atque etiam in Eucharistia est celebranda uniendo in Christi oblatione quae sunt in consecratione vitae offerenda et tradenda.

9. Quae conclusionis elementa hic descripta, valorem ipsius consecrationis quae per evangelica consilia assumenda peragitur, plenius demonstrant. In Christo enim fit deditio plena quae in amore trinitario orta, assumpta et expressa est contemplanda. Quam vitae consecratae contemplationem exemplo et ductu Sancti Ignatii perfecimus; quae contemplatio ad maiorem Dei gloriam et animarum salutem atque sanctitatem semper in vita consecrata profundius est perspicenda et applicanda.

JEAN BEYER, S.J.